PA 4448
.A4 H3
Copy 1

DE

THEOPHRASTI CHARACTERVM

LIBELLO

COMMENTATIO PHILOLOGICA

QVAM

SVMMORVM IN PHILOSOPHIA HONORVM

AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE OBTINENDORVM CAVSSA

VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE VII MENSIS AVGVSTI ANNI CIↃIↃCCCLVIII

PVBLICE DEFENDET SCRIPTOR

FRIDERICVS HANOW

LVSATVS

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT

FRANCISCVS BVECHELER PHIL. DR. PRIV. DOC.
ANTONIVS KLETTE PHIL. DR. REG. BIBL. CVST.
ADOLPHVS KIESSLING REG. PHILOL. SEM. SOD. ORD.

LIPSIAE

TYPIS B. G. TEVBNERI

175557

PA4448
A4H3

PARENTIBVS · OPTVMIS

DIEM · TERTIVM · MENSIS · OCTOBRIS

PIENTISSIME · GRATVLATVR

FRIDERICVS · HANOW

Nimia cura non bene consultum esse Theophrasteo illi cui χαρακτῆρες inscribitur libro negari nequit, immo maximae ortae sunt turbae propter diuersas uariasque quas publice dixerunt uiri docti sententias, cum singularia libelli fata mentes quasi captas tenerent neque admitterent simplicem iudicandi rationem. nam inde ab anno CIↃIↃXXVII quo primum editi sunt characteres usque ad haec tempora inuenti sunt qui integrum Eresii philosophi librum se legere putarent, cum alii nullum inesse Theophrasteae originis uestigium clamarent, alii medium quendam locum amplexi genuina iudicarent non nulla, non nulla condemnarent ut indigna uiro summo. quae opiniones quoniam certis destitutae argumentis solo in arbitrio niti solebant mirum in modum uagabantur nec quisquam fere quid esset statuendum indagare poterat. nostro demum saeculo sana ratione in singula inquirere coeperunt atque de summa etiam rei nuper breuiter disputatum est ab Hermanno Sauppio. Nos igitur non incommodum duximus quam accuratissime exponere quae conferri posse uiderentur ad diiudicandam χαρακτήρων indolem, quoniam amplissimus philosophorum ordo tractandam proposuerat in certamine litterario hanc quaestionem. quam conscripsi eam ob caussam commentationem amplissimi ordinis insigni beneuolentia praemio ornatam nunc emitto, praesertim cum Theophrastei ingenii reliquiis sparsis in eo sit ut salus paretur. qua in re ne fusa nimis uel subobscura redderetur disputatio, plura in breuius redegi et priorum uirorum conatus raro tantum commemorandos putaui neque refellendo uolui terere tempus.

Laudantur inter Theophrasti Eresii scripta a Laertio Diogene V 47 *ἠθικοὶ χαρακτῆρες ᾱ*, 48 *χαρακτῆρες ἠθικοί.* bis igitur idem memoratur liber errore catalogi Alexandrini secundum litterarum ordinem dispositi ab Hermippo Callimacheo, ut luculenter demonstrauit nuper Hermannus Vsenerus meus analecton Theophrasteorum commentatione priore. itaque non erat cur fraudem eandem quam Diogeni obtrusam Suidae quereretur G. Bernhardyus, quamquam suo iure optimos secutus codices *τοὺς καλουμένους χαρακτῆρας* conmemorari a Suida u. *Θεόφραστος* uetuit. neque ullius esse momenti, quod eorum mentio fit apud Eudociam uiol. p. 229 Villois. inter omnes puto constat. Verum apud Tzetzen chiliad. VIIII 941 haec uerba leguntur:

Θεόφραστος συνέγραψε πάλιν τοὺς χαρακτῆρας
ἐτῶν ὑπάρχων ἑκατὸν παρὲξ ἑνὸς καὶ μόνου

atque Eustathius in Iliad. XIII 276 adnotat p. 931, 18 Rom. *ὡς ἐν τύπῳ χαρακτῆρας, ὁποίους δή τινας ὕστερον καὶ Θεόφραστος ἐξετυπώσατο, οἷος μὲν ὁ ἄλκιμος ἐν καιρῷ λόχου, οἷος δὲ ὁ δειλός.* cuius testimonio abusi sunt priores, cf. Vsenerus p. 13. Nusquam uero uerbum quoddam laudari e characterum libro depromptum confidenter pronuntiare possum. nam quod L. F. Westmannus dissertationis Londini Gothorum a. h. s. XXIIII editae p. 2 dicit „. . . . . Hesychius locum e characteribus recitauit, qui in supplementis codicis Vaticani ad ultimam characterum partem reperitur“ secutus teste adnotatione ‘Fuhrm. Anleit. z. Gesch. d. Cl. Litt. d. Gr. u. R. I. B. p. 579’, ea re

denuo notatur Fuhrmanni neglegentia: sola enim nititur ille coniectura ab Heinrichio comm. de Hermaphroditis p. 9 prolata. quam nullo modo esse ferendam Lobeckius euincit Aglaophami II 1007 adnot. Scripsisse igitur Theophrastum ἠθικοὺς χαρακτῆρας his testimoniis doceri uidemur. unde non consequatur oportet Theophrasteum esse quem habemus libellum cum solam Θεοφράστου χαρακτῆρες inscriptionem praebeant codices nostri. notum tamen fuisse prooemium Tzetzae e uersibus supra laudatis adparet neque multum a uero aberres de Hieronymo idem statuens, quippe qui septem et centum annos uixisse Theophrastum narret (epist. LII uol. I p. 256 C Vallars.: nam Themistoclis nomen aperte falsum). inde uero genuinum esse prooemium non licet concludere, cum Laertius Diogenes octoginta quinque annos tribuat Theophrasto consentientibus codicibus omnibus neque ulla sit caussa cur fidem ei denegemus. Inspiciamus pauca quibus fruimur de Theophrasti aetate testimonia. audiuisse eum tradit Laertius V 36 primum Leucippum quendam, deinde Platonem, quem a. $\overline{\text{CCCXXXXVII}}$ scimus esse mortuum. scholae praeesse coepit Theophrastus inde ab anno $\overline{\text{CCCXXI}}$ uel $\overline{\text{CCCXXIIII}}$ uel $\overline{\text{CCCXXIII}}$ testibus Laertio V 36 et Suida u. Ἀριστοτέλης: successit ei Strato anno $\overline{\text{CCLXXXVII}}$, quod Apollodori chronica secutus narrat Diogenes V 58. quae omnia si reputaueris tecum, in Laertii te abiturum esse partes confido. neque conmemoratur Theophrastus a Luciano μακροβίους uiros recensente, qui clarum philosophum nonaginta annos transgressum omissurus non fuisset. Commentarios denique a Maximo Planude conscriptos Conradus quidem Gessnerus et Lycius narrarunt: cum uero nemo unquam eorum apicem uiderit, facile suspiceris, falsum esse Gessnerum, nisi forte codicis Gudiani alterius respiciens indicem, qui praeter Theophrasti characteres carmen etiam quoddam Man. Planudae inesse tradit, simili de caussa ortam putes famam illam. Habes omnia quae tradita nouimus de Theophrasteo characterum libello testimonia parum sane grauia et quae nihil euincant, nisi in Alexandrina

bibliotheca extitisse librum cui inscriptum fuerit *Θεοφράστου ἠθικοὶ χαρακτῆρες* uel *χαρακτῆρες ἠθικοί.*

Quae uero sit uis quaeque indoles *χαρακτήρων* litteris mandatorum aut ignorant plerumque aut uarii generis commentis confisi perspicere se profitentur. eoque intricatior reddita est tota haec quaestio, quo propensiore studio unusquisque editor hoc potissimum efficere uoluit, ut quos in publicum emitteret characteres congruerent quam maxime cum ea quam sibi finxerat definitione. quod facillime fieri potuit in re tam obscura, in eo litterarum genere, cuius unum fere illud monumentum seruatum habemus. neque mireris, omnium oculos in Theophrasteos characteras conuersos non nimis curasse paruolas illas reliquias e locis absconditis repetendas, quae tamen plurimum conferant oportet ad totum genus inlustrandum, sed contentos maiore illo opere spreuisse fragmentorum inopiam. Nos igitur ut sincera mente rem adgrediamur nulla Theophrasti ratione habita in Peripateticorum scholam descendamus et quid apud illos significasse *χαρακτῆρας* scriptos statuendum sit primo loco quaeramus. qua in re ne longi esse cogeremur cautum est Caroli Zellii industria, qui duobus libellis academicis Friburgi Brisgouiae annis h. s. $\overline{\text{XXIII}}$ et $\overline{\text{XXV}}$ editis uberius disseruit 'de uera Theophrasteorum characterum indole et genuina forma ex Aristotelea ratione repetenda'*). Aristotelem enim non solum uersatum esse constat aeque atque Platonem in explorandis rerum omnium caussis rationibusque, in cogitationibus subtilissimis atque grauissimis, uerum etiam propria nouaque uia a summis fastigiis menti humanae concessis conuertisse se ad minutas fere res singulas accuratius perscrutandas. quod studium duabus potissimum rationibus elucet. Obseruauit Aristoteles quam

---

*) qua de caussa alterius commentationis fronti haec tantum uerba praefixerit Zellius 'de Th. ch. indole ex Aristotelea ratione repetenda' latere me profiteor, nisi forte mutatam interim statuas sententiam, quam antea de libelli „genuina forma" habuerat, conl. comm. II p. 8.

potuit diligentissime tum animalia, plantas, id genus omne cum mundi natura artissime cohaerens, tum uero homines resque humanas atque instituta singulis populis uel ciuitatibus propria. ad mores igitur hominum cognoscendos uitamque tam publicam quam priuatam perspiciendam philosophus summus ferebatur ipsa studiorum suorum ratione, cui quam libenter sit obsecutus quamque egregios inde ceperit fructus luculentissime declarant inter eos quos fata nobis seruarunt ethicorum Nicomacheorum libri. in quibus etsi uirtutes primarias more philosophis usitato certis finibus circumscripsit itemque uitia eis opposita, unde deduxit uaria diuersaque uirtutum et uitiorum genera, noluit tamen lege nimis seuera peccare, sed usui atque consuetudini plurimum tribuendum uel concedendum docuit. statuit igitur Aristoteles medium quoddam esse genus actionum, quod pro singulorum hominum indole atque natura aut a uirtute non procul abesset aut in uitii cuiusdam cognationem deflecteret, cum per se neque honestum posset appellari neque turpe. quod ipsum uitae communi proprium esse unusquisque intellegit. quam seruatam a Stobaeo ecl. phys. et eth. II p. 632—5 Gaisf. gaudemus grauem Theophrasti disputationem huic rei adfinem alio loco pertractabimus. Consimili modo philosophus Stagirita egit in tribus quos de arte rhetorica conposuit libris, mores enim hominum et animi quales sint quibusque modis flecti possint ab oratore uel eo quo uoluerit duci studet demonstrare. discipulos igitur ex Aristotelea disciplina profectos et scribendo et disserendo multos fuisse in tractando amplissimo illo qui est de moribus loco probante Zellio cur negemus nullam uideo caussam. Facillime uero euadere poterat certa quaedam describendorum morum ratio usu quasi sancita, qua uitiis potissimum operam nauantes diligenter obseruandis uiuidam ut ita dicam imaginem ex ipsa uita cottidiana depromptam eorum quae unaquaque die aut facerent non admodum laudabilia aut dicerent singulis hominibus proponere solebant. quae consuetudo, ut transeundo tangam hanc rem, non

minimi erat momenti ad adsequendam summam illam qua fruebantur Peripatetici auctoritatem inter cuiusuis generis homines. Sed accedebat aliud quid cum totius aeui ingenio conexum, ex quo auxilia adfluebant aut certe incitamenta conplura tali mores obseruandi studio. paucis uerbis solui me posse puto ut in re grauissima quidem sed eadem notissima uersantem. Amissa libertate Graeci in primis Athenienses rem publicam totis uiribus, omni animorum contentione curare ut antea neque uolebant neque poterant per uarias imperii uicissitudines, quae tamen omnes in eo consentiebant, ut ciuium multitudinem arcerent ab administranda re publica. fractae praeterea opes cogebant plerosque ut suae ipsorum fortunae soli consulerent anxieque summa opera quo modo se seruarent atque domum suam quaererent. humilis igitur demissusque iacebat omnium omnino animus, ui quadam externa a summis rebus atque praeclarissimis uoluendis depulsus necessario ad exiguas uitae cottidianae curas. qua de re certiores nos reddunt pauca illa quae aetatem tulerunt comoediarum fragmenta, quia per omne quo floruit tempus comica Atheniensium ars totum aeui uniuscuiusque cultum imagine expressit si uniuersum spectes sincera. Quid igitur est quod tractet comoedia noua, in quo uim suam uelit esse positam? Re publica atque ciuium contionibus plane neglectis in singulis haeret hominibus, domus ipsas perscrutatur, quae moueant parentes, liberos, totam familiam, amicos denique amicasque exponit. excellebant uero poetae illi duabus potissimum rationibus. primum enim summa cum arte totam contexebant fabulam singulosque articulos tam artificiosis conectebant nodis, ut attentum tenerent populum ab ouo usque ad mala. deinde non minorem ponebant diligentiam in exprimendis quam accuratissime uariis omnium ordinum uiris. quibus uti uidebant ciues cottidie moribus, habitu, cultu uel parasitos uel medicos uel sacerdotes uel milites uel quoduis hominum genus, plane eisdem conspicui erant in scaena qui eiusmodi personas agebant. (Diserte de comoedia

attica media nouaque exposuit nuper O. Ribbeckius, ad quem relegare liceat breuitatis caussa qui singula nosse cupiunt.) Adspiciebantur igitur non certi quidam homines de uolgo electi, ut singulare quid repraesentarent, sed genera potius ciuium singulis illis quae in scaenam prodierunt personis significabantur atque notabantur. quod qua tandem ratione effici poterat nisi religiose adhibitis et curiose quasi delineando repetitis omnibus eis quamuis pusillis quae propria erant ordini cuique uel aetati? atque comoediae natura postulabat, ut comici poetae non tam seriora quam quae mouerent risum obseruarent aut certe obseruare uiderentur in fabulis suis: quod rei supra expositae summam omnino non tangere nemo puto negabit. medium illud genus inter honestum ac turpe positum, quod ab Aristotele constitutum dixi, exoptatissimum erat comicis poetis, praesertim cum ad uitii propinquitatem declinaret. Iam qui haec omnia mente conplecti uolet, is intellegat statim oportet, qualis intercesserit familiaritas inter Peripateticorum illud morum obseruandorum studium et comoediae nouae indolem. quamquam ne nimis artis uinculis inter se conexas fuisse putemus utramque artem Theophrasteo aeuo cauendum summo opere. insciis potius a philosophis ad poetas inscios transiisse non nullas obseruatiunculas dicam, quae deinde celebratae fortasse in scaena rursus ut redirent in scholae exercitationes fieri sane poterat, atque eodem iure a scaena descriptionem quandam exortam statuas. Incerta tamen restat tota haec res propter pauca neque satis grauia testimonia quibus niti debemus cum quid litteris mandarint Peripatetici ex hoc genere desumptum quaeritur, nimis multa enim elicere inde studuerunt uiri docti. Nostrum erit diiudicare quae de characteribus scriptis traduntur cuncta uno in conspectu posita.

Nullius igitur momenti mihi uidetur ebrii illa descriptio a Lycone quodam profecta quam Rutilius Lupus de fig. sent. et eloc. II 7 in characterismi exemplum adfert, nam philosophum intellegendum esse Peripateticum, diadochum tertium, etsi Ruhnkenius sagacissime coniecit tamen ut ad-

sentiamus nihil est quod cogat, praesertim cum praecedant Rutilii Lupi uerba haece: „quem ad modum pictor coloribus figuras describit, sic *orator* hoc schemate aut uitia aut uirtutes eorum de quibus loquitur deformat:“ nonne oratoris potius quam philosophi schema expectes? sed ut largiamur Ruhnkenio atque Sauppio (praef. ad Philodemi de uitiis X p. 8) philosophum, tamen nihil aliud concludere possis quam in libro aliquo adhibuisse Lyconem characterismum illum, id quod recte statuit Sauppius, nec de singulari χαρακτήρων libello cogitare licet. mittamus igitur Lyconem eoque libentius, quia characterismus ille oratorem meo quidem sensu quam maxime redolet.

Praesto etiam sunt testimonia alia uelut Laertii Diogenis V 88 inter Heraclidis Pontici scripta adferentis χαρακτῆρες ᾱ, de quibus quid statuas coniectura tantum adsequi licet, quoniam nihil ultra cognitum: de ethicis uero characteribus cogitandum non esse demonstrat Laertiana tabula secundum res tractatas ab Heraclide disposita, qua inter musica similisque generis scripta laudantur characteres. non inepte conparare possis Antisthenem Socraticum, qui teste Laertio VI 15 scripsit περὶ λέξεως ἢ περὶ χαρακτήρων, unde temporibus illis χαρακτὴρ uocabulo significatam esse adparet quam postea ἰδέαν nominabant rhetores. Adferunt praeterea Satyrum Peripateticum (de quo pluribus exposuit I. Luzacus lectionum atticarum p. 176) Aristarchi temporibus florentem, quem Athenaeus IIII p. 168 C ἀσώτου characterismum scripsisse tradit ἐν τοῖς περὶ χαρακτήρων. quam descriptionem ab Athenaeo seruatam rhetorem ac sophistam magis decere quam philosophum, ut Luzaci uerbis utar Corais sententiam (discours préliminaire p. 62) probantibus, qui animo non praeoccupato inspexerit eam fateatur oportebit. et re uera cum Satyri aetate optime conuenit ut de arte rhetorica eum scripsisse putemus et pluribus libris (ἐν τοῖς π. χ.) hunc potissimum tractasse locum quem tunc inualere coepisse in rhetorum scholis confidenter possumus pronuntiare etsi certis argumentis destituti. nam qui norit

uniuersam artis oratoriae historiam quo modo exorta ad latissimos denique peruenerit fines, facile eum spero mecum facturum. atque Cornificii certe temporibus ualde celebratum fuisse rhetorum studium in characteribus describendis positum lepida quam profert IIII 63 ostentatoris notatio abunde conprobat eoque magis, quia segregat eam Cornificius a sermocinatione, forma sane admodum propinqua, unde notationum usum frequentissimum fuisse adparet, quoniam minuta huius modi distinctio non poterat excogitari nisi post longam exercitationem scholasticam. iure autem suo posterioris aetatis rhetores utramque formam eandem esse uoluerunt et *ἠθοποιίαν* plerumque appellarunt, ut Hermogenes alii cf. Kayseri comment. in Cornif. p. 309. In Satyro igitur abs quo paulum deflexerat oratio librorum rhetoricorum conditore acquiescamus, quod uel ipsa Athenaei uerba suadere uidentur cum *ἐν τοῖς περὶ χαρακτήρων* asotum descriptum esse narret, non in *χαρακτήρων* libro quodam. possis in conparationem uocare M. Terentii Varronis 'de descriptionibus libros tres' a Charisio p. 170 P. (p. 189, 25 Keil.) appellatos *χαρακτήρων* libros, quos cum de comicis personis egisse Fridericus Ritschelius existimet mus. rhen. nou. VI 520, Sauppius contra monet haece: "Varronem de tractatione characterismorum oratoria uel praecepta uel exempla uel utraque posuisse non minus uidetur probabile esse, cum eum orationum libros uiginti duo, deinde suasionum tres, porro rhetoricorum libros septendecim, denique disciplinarum librum tertium de rhetorica scripsisse sciamus". cui non habeo quod addam, etsi neutram sententiam certis argumentis stabiliri posse intellego. in uituperationem tamen ne incurram non uereor, quod in disputationis meae gratiam utar hoc testimonio, cum nec res ipsa uetet et duos duorum scriptorum libros eadem fere argumenta tractantes eruere hac ratione liceat. — Denique conmemorandus nobis est Aristo Ceus, philosophus Peripateticus, quem docte arguteque inpugnans Krischii sententiam, qua Chius retinetur Aristo, a Philodemo duobus libri

X locis laudari euincit H. Sauppius praef. p. 6. grauis momenti posterior § 23: ibi enim characterismum quendam Aristonis adfert Philodemus, quo notatur *αὐθάδης*, atque intercedit sane similitudo quaedam inter Theophrasteas huius generis reliquias et Aristonis illam notationem. tenemus igitur philosophum ex disciplina Aristotelea profectum, qui hominum mores descripsit secundum genera distinctos, uerum ne is quidem singulari libello, sed prout occasio ferebat libro alicui intextos. protulit H. Sauppius e Laertii Diogenis indice, quo Aristonis Chii scripta enarrantur VII 163, non sine probabilitatis specie *ὑπομνήματα ὑπὲρ κενοδοξίας*, quibus adtribui iubet has notationes (licet enim substituere in Chii locum philosophum Ceum auctore Sauppio). utut se habet haec coniectura, de *χαρακτήρων* quodam libro ab Aristone conposito nihil certe conperimus. id quod grauissimum mihi uidetur.

Perducta iam est disputatio nostra ad hunc finem, ut constare nihil sciamus de scriptione quadam alicuius Peripatetici, quae *χαρακτήρων* nomen prae se ferens notationibus constiterit philosophico more per genera dispositis. contra eo certiores facti sumus de philosophorum illorum consuetudine, qua descriptiones solebant inserere uarii argumenti libris ad inlustrandas scilicet sententias de uita humana moribusque prolatas. quid enim aliud spectasse putes philosophos characterismis saepius adhibitis? an animorum delectandorum caussa lepidas eos finxisse narratiunculas opineris? tale uero consilium toto coelo aberat ab ingenio studioque seuero quo florebant Aristoteleae doctrinae alumni.

Redeamus ad eum qui praesto nunc est *χαρακτήρων* libellum. quem hac ratione conpositum non esse a Theophrasto Eresio hodie uix opus est demonstrare. Nam de prooemio ita licet diiudicare, ut acerrimus traditarum litterarum sectator Theophrasteam eius originem dicere non audeat. quod primum effectum est sollertia C. G. Sonntagii, qui sententiam Christiani Dan. Beckii praeceptoris amplexus Lipsiae a. CIƆIƆCCLXXXVII "in prooemium characterum

Theophrasti" commentationem scripsit doctam atque subtilem. singula prooemii uerba perlustrans in singulis fere nos offendere debere demonstrat Sonntagius, unde neque libelli consilio aptum esse prooemium illud neque cum rerum historia congruere conligitur. nam ut mittamus orationem futilem et re uera ineptam, inueniuntur plura, quae magnos moueant scrupulos, non nulla aperte falsa. quae paullo uberius hoc loco pertractare liceat, qnoniam ansam praebent alium quendam errorem prioribus saeculis peruolgatum simul explodendi.

In omnibus characteribus Theophrastum solam Athenarum urbem respicere, de atticis rebus consuetudinibusque solis agere iam Isaacus Casaubonus animaduerterat: iure igitur tuo mireris, quod de totius Graeciae situ, de cunctorum Graecorum educatione nimis subtiles cogitationes instituerit. de aetatis anno undecentesimo, quem agere se profitetur scriptor, supra disputatum est, cum in uno conspectu antiquitatis testimonia poneremus. uerum conmoremur aliquantulum oportet in praeclara quam de operis sui consilio lecturis adfert expositione. diligenter enim obseruasse se tradit *τούς τε ἀγαθοὺς τῶν ἀνθρώπων καὶ τοὺς φαύλους* et officii esse ratum *συγγράψαι ἃ ἑκάτεροι αὐτῶν ἐπιτηδεύουσιν ἐν τῷ βίῳ.* Quid? num promissis stetit uir eximius? pro certo id habuit Casaubonus et meliorem operis partem intercidisse questus 'et ea', inquit "quae erat de uirtutibus tota hodie desideratur: et illius, quae de uitiis, haud scio an portio saltem *ἀξιόλογος* fuerit quantumcunque est, quod ad nos peruenit. quota enim est obsecro uitiorum pars quae hic continentur?" eandem cantilenam posteriores cantare solebant, neque aliter de uirtutum descriptionibus censuit Schneiderus ed. min. p. 75 — etsi fortasse inprobabant Menagium, qui duplicem *χαρακτήρων ἠθικῶν* mentionem a Laertio Diogene in Theophrasti scriptorum tabula factam idem indicare somniauit comment. p. 211! Qui in mentem reuocare uolent quae de *χαρακτήρων* indole supra disputauimus, ei ut redarguamus hanc sen-

tentiam non poscent opinor, praesertim cum solis his prooemii uerbis nitatur. dixit fere quae post Sonntagium dicenda erant Astius proleg. p. 22 nec tamen impedire potuit quo minus nostris etiam temporibus repeterent Casauboni querimoniam Fridericus Thierschius in actis philologorum Monacensium III et Eduardus Meierus prooem. Hal. hiem. a. CIƆIƆCCCL p. III. — Sed reuertamur ad aureola prooemii uerba. Meliores reddere cupit scriptor *ὑμῶν* (sic omnes quos noui codices: solus Monacensis praebet *ἡμῶν*) *τοὺς υἱούς*. cuius? num Polyclis caeterorumue amicorum? nam *ἡμῶν* ab editoribus receptum multo etiam obscurius est, cum de Theophrasto utrum liberos habuerit necne nihil traditum legamus neque credibile uideatur hoc modo locuturum fuisse scriptorem atticum. quamquam ne nimis anxie singula premas prooemii natura flagitat: quid enim dicas de eo scriptore, qui medio in prooemio iactet haec: statim rem ipsam adgrediar *ἀφεὶς τὸ προοιμιάζεσθαι*? — In maximum uero totius libelli detrimentum uertit, quod legitur in prooemio *ἐκθήσω δέ σοι κατὰ γένος, ὅσα τε τυγχάνει γένη τρόπων τούτοις προςκείμενα καὶ ὃν τρόπον τῇ οἰκονομίᾳ χρῶνται*. id quia non fieri adparebat, editores non nulli ferro atque igni saeuierunt in traditum notationum ordinem suaque intruserunt commenta: nominare iuuat Schneiderum, Blochium, nouissimum denique eundemque uiolentissimum Hartungium. exorta est etiam ex eodem fonte Casauboni opinio quam protulit de amissa uitiorum descriptorum parte, renouata illa ingeniose ab Eduardo Meiero. qui uir alioqui prudentissimus sibi excogitauit haece: "De XXX superstitibus (capitibus) XIII ab *α* littera incipiunt, terni ab litteris *δ* et *μ*, bini ab litteris *κ*, *λ*, *ο*, singuli ab *α*, *β*, *υ*, *π*, *φ*. inde autem uidetur coniectura capienda esse, primam partem, qua ab *α* littera incipientes characterismos conprehenderit, ampliorem ad nos peruenisse, ex relicuis partibus longe plura periisse." Vellem equidem addidisset Meierus tam multorum uitiorum amissorum nomina, nam frustra me circumspicere fateor;

facillime autem cur α littera saepius inueniatur expedire possis ex ipsa nominum illorum ratione. — De Polycle quem adloquitur prooemii scriptor certi quidquam constituere non licet, itaque acquiescamus in Sonntagii coniectura Antipatri Macedonis ducem quendam significante. — Prooemium uero ipsum ab alio scriptore esse confectum quam cuius sint characteres, id euicisse nos disputatione nostra confidimus.

Similiter de definitionibus capitibus singulis praemissis iudicandum, quamuis a Casaubono usque ad Zellium editores omnes uariis modis congruentes eas cum Aristotelea doctrina reddere studuerint. immo ipsa haec opera mirum quantum si quid uideo facit mecum. qua de re postea plura proferam.

Incertiores etiam nos reddit librorum scriptorum condicio plane singularis, in qua explicanda ut commode uersari possimus breuiter enarrentur antea oportet mira quae libellus exiguus perpessus est fata memoratu haud indigna.

Flagitat res ipsa ut notationum numerum respicientes quattuor significemus gradus, quibus superatis ad hunc demum circuitum peruenerint reliquiae Theophrasteae. principem enim qui emisit editionem Norimbergae a. CIƆIƆXXVII Bilibaldus Pirckheymerus senator ille clarissimus quindecim tantum characteras extare uidit in apographo codicis cuiusdam quem possidebat Franciscus Picus comes Mirandulanus. is comiter describi iussit codicem et apographum Pirckheymero in Germaniam misit. uerum aut codex ipse pessime erat deprauatus aut librarius cui Fr. Picus describendi prouinciam tradiderat magna egerat socordia: plurimis enim mendis laborabat editio Norimbergensis. nec tanta graecae linguae peritia pollebat Pirckheymerus, ut feliciter uersari posset in emendandis tribus illis foliis. immo pro illius saeculi condicione plura eum ne intellexisse quidem euincit Fischerus p. 7 allatis locis nonnullis e latina uersione desumptis. Pirckheymerianam editionem secuta est quae paullo post a. CIƆIƆXXXI ab Andrea Cratandro Basileae curabatur; acce-

debat uersio latina fortasse ab Angelo Politiano confecta. tertio denique loco conmemorandum est exemplum per Ioannem Oporinum Basileae a. CIƆIƆXXXXI editum, qui primus Laertii Diogenis auctoritate nisus ἠθικοὶ χαρακτῆρες inscripsit libello, cum codices omnes solum χαρακτῆρες uocabulum agnoscant.

Iam altera incipit aetas ab Io. Baptista Camotio qui cum in aedibus Aldi Aristotelis scripta recenseret sexto uolumini inter caetera Theophrasti scripta inseruit etiam characteras codicis alicuius ope octo capitibus uel notationibus auctos. tres igitur et uiginti characteres extant apud Henricum Stephanum (Paris. CIƆIƆLVII), Leonardum Lycium (Lipsiae CIƆIƆLXI), F. Morellium (Lutet. CIƆIƆLXXXIII), alios conplures qui uerbis etiam scriptoris explicandis et emendandis intentiorem operam nauare coeperunt.

Verum proxima aetate extitit quo nemo doctior, nemo felicior, nemo diligentior in adornandis Theophrasti characteribus uersatus est, magnus uir Isaacus Casaubonus, cuius editio altera (Lugduni CIƆIƆLXXXXVIII) excellit notationibus quinque recens detectis in Palatino quodam libro et accurate descriptis a Marquardo Frehero. eximium praeterea decus accedit Casauboni commentarius in itineris angustiis atque inopia conscriptus, in quo utrum maiore persequaris admiratione linguae graecae peritiam haud uolgarem an incredibilem qua splendet rerum antiquarum scientiam incertus sane haeres. pro fundamento igitur firmissimo utebantur Casauboni interpretatione qui post eum edendorum characterum periculum susceperunt; neque admodum mutare ausi sunt uerba ipsa, nisi codicibus pluribus adiuti ut Th. Galeus (opusc. mythol. physic. et ethic. Cantabr. CIƆIƆCLXXI) P. Needhamus (Cantabr. CIƆIƆCCXII), I. F. Fischerus (Coburgi CIƆIƆCCLXIII.)

Duobus deinde saeculis praeterlapsis e bibliothecae Palatino-Vaticanae latebris in lucem protraxit extrema duo quae numerantur capita Prosper Petronius paullo post moriturus, edendi curam suscepit I. Chrysostomus Amadutius uotumque soluit Parmae a. CIƆIƆCCLXXXVI. qui tam hebetis

erat ingenii ut librum satis spissum emitteret externo splendore insolito excellentem nec tamen inspiceret ne unam quidem codicis litterulam praeter duos illos characteras. quod si fecisset, primo statim intuitu animaduertere debebat, quindecim posteriora capita multo locupletiora praeberi a codice illo Palatino-Vaticano quam in uolgatis exemplaribus exhiberi solebant, cum non solum singula quaedam uerba uerum tota etiam enuntiata addi adpareret. Certiores enim facti sumus de his rebus ab I. Ph. Siebenkeesio, cuius anecdoton graecorum p. 105 sq. characteres illi XV (tot enim insunt) e codice Palatino-Vaticano repetiti sunt cura I. Ad. Goezii (Norimbergae CIↃIↃCCLXXXXVIII) eosdemque habes in Goezii editione eodem anno excusa. itaque triginta notationes in nostrae aetatis libris prooemium sequi solent et quod Io. G. Schneiderus Saxo in utraque editione uno capite auxit libellum scindendo medium caput ἀρεσκείας quintum, fecit id animo soli obtemperans uir ingeniosissimus.

Verum quamquam omnium in se conuerterat oculos Palatino-Vaticanus liber, nullius tamen uidebatur fidei, quoniam adsueuerant uiri docti illi quae inde a Casauboni temporibus lectitabatur formae strictae — id sibi persuadebant — atque graui, a qua interpolatorum manus arcendae forent. itaque obstupuerunt omnes nouo portento perculsi cum Fr. Thierschius in actis philologorum Monacensium III 3 profiteretur 'Theophrasti characteres quinque priores cum prooemio et sedecim sequentium partibus nunc primum genuina forma' publicari descriptos Chr. Wurmii opera ex Augustano quondam codice Monacensi 505 adderetque epilogum quo detectas tandem esse integras notationes quinque cum prooemio uere Theophrasteo ostendere studebat, de sedecim relicuis, quos praebet codex, incertus plane quid statuendum esset haerebat. Quid igitur? ut omnes codices uolgatos quos summa uirium contentione quasi sanctuarium defenderant contra interpolatorum audaciam interpolatori cuidam deberi putarent? dictum sane inauditum cui paucissi-

mos tantum uiros ex animo adsensisse persuasum habeo. uerum tam confidenter Thierschius sententiam suam protulerat, ut per octo fere annos qui ei aduersaretur non existeret. XXXIII tamen huius saeculi anno adgredi ausus est Thierschium Pinzgerus in programmate Ratisboriensi. quod ignorans H. E. Fossius in prima de Theophrasti notationibus morum commentatione Halis CIↃIↃCCCXXXIIII edita eandem suscepit quaestionem. Pinzgerus rursus commentationum Fossianarum altera tantum tertiaque inspectis disputationem suam continuauit programmate anni CIↃIↃCCCXXXVIIII. neque constitit Fossius in neganda codicis Monacensis auctoritate, sed per trium commentationum latissimos fines libri Vaticani scripturas uindicare studuit ab interpolationis suspitione explicationibus adhibitis emendationibusque doctissimis.

Habes igitur sententias duas aduersa fronte inter se pugnantes, de quibus ut diiudicemus accurata opus erit perscrutatione. atque de uolgatis codicibus exordiri placet ne alterutra praeoccupati uideamur opinione. extat enim permagna librorum scriptorum multitudo qui uario notationum numero differunt ita ut tria statuere possis genera.

Quorum *primo* tribuendi sunt codices hice XV tantum characteras conplectentes:

Parisini decem (uel praeter unum omnes quos bibliotheca imperialis possidet) ut uidetur — nam de non nullis nihil certi reperias in catalogo — inter quos duo antiquissimi num. 1983 atque 2977 insigniti et saeculo X scripti, cum caeteri a XIII ad XVI saec. uarient et haec prae se ferant signa 1045. 1389. 1639. 1944. 2830. 2916. 2918. 2986. quattuor eorum Needhamus adhibuerat in usum editionis Cantabrigiensis iterumque nuper contulit Duebnerus. idem factum est

Coisliniano saec. XV libro.

Praeterea ut Needhami copias coniunctas adferamus nominandi

Bonauenturae Vulcanii liber bibliothecae Oxoniensis ex Is. Casauboni commentariis cognitus;

Ioannis Osborni codex;

Baroccianus denique bibliothecae Oxoniensis a Th. Galeo conlatus. desinit ille in primis capitis XV uerbis.

Fonteblandensis liber saec. XIII et

Palatinus a Neueleto excussus, uide Duebneri praef. edit. Didot. a. 1840.

Guelferbytanae bibliothecae libro Gudiano 21 saec. XIII scripto Fischerus usus est.

Monacensis n. 490 signati scripturas Astius conmemorauit (praef. ed. 1816 Lipsiae emissae), typothetae fortasse errore XIIII tantum inesse testans characteras. quem eximia C. Halmii beneuolentia Bonnam transmissum inspicere mihi licuit.

Darmstadiensis libri conlationem in actorum philol. Monac. III 3 a. 1822 F. X. Werferus publicauit.

Medicea bibliotheca quattuor conplectitur libros plutei LX 18 et 25, plutei LXXXVI 3, LXXX 23 a Riccione uersionis italicae conditore conlatos.

De Vindobonensibus duobus codicibus non nulla disseruit Schneiderus ed. min. praef. p. XXVIIII.

Libros Vaticanos 102. 126. 1327,

Palatino-Vaticanum 23 et

Angelicanum quendam conmemorat Siebenkeesius praef. p. 27.

Alterius ordinis quos nouimus codices XXIII exhibent characteras.

Cantabrigiensis saec. XV a Galeo Needhamoque conlatus.

Gudianus 26 saec. XIIII quem Fischerus diligenter excussit.

Monacensis 327 saec. XV conlatus ab I. G. Krabingero in Astii usum et nuper a me ipso.

Palatinus liber a Casaubonò sub commentarii finem laudatus.

Tertium denique genus ei efficiunt libri, quibus capita continentur XXVIII.

Palatini minimum duo a Casaubono conmemorati.

Vaticanus quidam saec. XV et

Vrbinas saec. XIIII quos Siebenkeesius inspexit. grauissimus uero

Rehdigeranus codex a Schneidero (operum Theophr. uol. IIII p. 825) et nuper ab Hermanno Petro meo conlatus.

Singularem tenent locum

Parisinus liber 1373, solam XIII *αὐθαδείας* notationem exhibens

et

Gudianus ille 26, in quo XVII—XXIII capita praecedere capitibus I—XVI Fischerus docet, qui recte simul adnotat, congruere hunc codicem inde a cap. XVII cum eo libro quem Camotius primus horum characterum editor secutus est. lapsus enim est memoria, ut transeundo hoc tangam, Casaubonus laudem illam Henrico Stephano tribuens.

Horum codicum quotquot conlati sunt omnes iam dudum constat tanta uti similitudine, ut ex uno eodemque fonte deriuatos eos dicas. ne Parisini quidem libri antiquissimi aliquantum faciunt ad emendanda scriptoris uerba, sed corruptelis conpluribus deprauati sunt eodem fere quo caeteri modo. Excipiendi uero Rehdigeranus liber et quem cum Rehdigerano plerumque consentire dicit Duebnerus, Neueleti ille Palatinus. utrumque accuratius inspiciamus oportebit, cum de Palatino-Vaticano et Monacensi codicibus egerimus.

Volgatam characterum formam ab omnibus illis codicibus traditam permultas quidem flagitare singulorum uerborum enuntiatorumque emendationes, uerum tolerabilem tamen esse neque pugnare aduersus totius scriptionis indolem si recesseris ab inepto prooemio paucisque illis capitum priorum clausulis negari nequit. iam Palatinus codex

corruptos locos posteriorum quindecim capitum non paucos praeclara ratione sanat ita ut dubitatio de eis relinquatur nulla, ubi intercidisse quaedam conuenerat inter editores supplementa non nunquam praebet idonea (quarum uirtutum indicem locupletissimum dedit Fossius I p. 11. 12), omnia denique prae se fert bonae notae signa, etsi tertio demum et decimo saeculo Bened. Hasius harum rerum peritissimus scriptum eum esse iudicat, uid. Duebneri praef. p. II. nullam igitur uidere me fateor caussam cur fidem denegemus additamentis illis capitibusque duobus solo e Palatino libro cognitis. quam qui denegare perseuerant, ei uerendum est ne incurrant in uitium grauissimum et tenacius defendant scripturam nulla alia re sancitam nisi saeculorum aliquot usu. quid enim si Palatinus liber primus esset descriptus atque editus? nonne excerpti atque mutilati haberentur communi omnium consensu ei quos nunc licet possessione beatos praedicare codices? Itaque laudem magnam meruit Fossius, quippe qui aduersus cunctos fere Theophrasteorum characterum editores Palatini libri uindex doctissimus est exortus. atque mihi quidem persuasit genuina habenda esse additamenta neque magis ab interpolatore profecta quam XXVIIII et XXX capita. nihil enim reperitur in eis quod scriptum esse nequeat ab eo uiro qui caetera conposuit capita siue res siue uerba spectamus, immo plura quae doctissima atque Theophrasto digna ipse Astius praedicauit uehementissime caeterum obluctatus Palatini libri auctoritati. uerum qui interpolatorem sibi deprehendisse uidentur memorabilem fingunt hominem, quippe qui quamuis ardens addendi amplificandique studio unam tamen XVII *μεμψιμοιρίας* notationem intactam reliquerit. quae abstinentia naturae talis uiri maximo opere repugnat. deprauata sane non pauca sed quae in integrum restitui posse Fossius atque Meierus emendationibus magnam partem probandis demonstrarunt, ita ut nihil possis concludere ex additamentorum misera condicione. De quadam uero capitis *βδελυρίας* parte a Palatino libro ultimae notationi tributa

quae grauem suspitionis praebuit ansam extrema disputatione dicam.

Ad Monacensem igitur codicem plane contrarias agentem partes transeamus. quem librum excerptum esse ex ampliore quodam codice et Pinzgerus et Fossius demonstrarunt et hodie unusquisque puto concedit. accidit igitur Thierschio quod non raro philologis, ut longe praestantissimum duceret eum quem in manibus uolueret librum. et qui factum sit ut pleniora extent quinque priora capita posterioribus, ea res facillima explicatu. pigerrimus enim homo epitomen illam confecit seque ipse notauit adscriptis in primae paginae fronte sub *Θεοφράστου χαρακτῆρες* (quam uocem dispicere licet quamuis negante Thierschio uel Wurmio: nam hunc etiam codicem Halmii benignitate concessum ipse contuli) triginta notationum indicibus, cum tamen ad *μικροφιλοτιμίας* caput progressum deficientes uires quo minus ad finem perduceret grande opus prohiberent. simili modo quinque notationibus non sine arte ac ratione in compendium redactis nimio labore fatigatus magis magisque uerbis parcere decreuit secundum mentis naturam, nam eximio eum arsisse loquacitatis odio miserrima quam effecit huius notationis forma uel maxime conprobat. praeterea cum non nulla intellegere non posset ea aut omisit scriptor aut sua ipsius commenta inputauit Theophrasto. sic in primo *εἰρωνείας* charactere quamquam anxie uolgatorum librorum pressit uestigia, tamen uexatissima illa uerba quae sunt inde ab his *καὶ πρὸς τοὺς δανειζομένους* usque ad *φῆσαι πωλεῖν* contrahere in breuius non est ausus. in *μικροφιλοτιμίας* uero notatione XXI ex optima hac sententia: *οἷος σπουδάσαι, ἐπὶ δεῖπνον κληθεὶς, παρ᾽ αὐτὸν τὸν καλέσαντα κατακείμενος δειπνῆσαι* effecit ineptissimum *οἷον εἴτις κεκλημένον ἐπισπεύσειεν* (hoc enim praebet codex, non *ἐπισπεύσει* ut Wurmius uoluit). quocum conferas Monacensis libri uerba haec e *μεμψιμοιρίας* charactere XVII deprompta *καὶ ἀγανακτεῖν ὅτι οὐχ ὕει*, cum contraria uoluisse scriptorem adpareat. Congruit codex Monacensis cum uolgatis libris

in adferendo toto de quo supra locuti sumus *βδελυρίας* capite, aliis uero locis multo caeteris praestantiora exhibet congesta illa a Fossio I 5. quem tamen nollemus summis laudibus celebrasse Monacensem propter *τίβιε* scripturam rectissime *τίμιε* uolgare emendantem: saepissime enim mutatas esse inter se *μ* et *β* litteras in codicibus satis est notum. uerum confirmatur sane Salmasii coniectura *Τίβιε* proponentis eoque magis, quoniam adscriptum legimus scholion hoce: *τίβιε δουλικὸν ὄνομα ὡς καὶ δρόμων καὶ γέτα καὶ τὰ τοιαῦτα* (char. VIIII) quod desumptum esse adparet ex scholio ad Aristophanis Acharn. u. 243 p. 10, 23 Duebn. *εἰσὶ δὲ καὶ ἐν τῇ κωμῳδίᾳ οἰκέται Ξανθίας, Τίβιος, Σωσίας, Δᾶος, Γέτας.* — Quae communia habet Monacensis cum Palatino capita sex digna quae intentiore cura inspiciantur unum tantum locum grauioris in hac caussa momenti suppeditant. in *δεισιδαιμονίας* enim notatione XVI Palatinus addit haec (uide Fossium I 13). *κἂν γλαῦκα βαδίζοντος αὐτοῦ ταράττεται καὶ εἰπὼν Ἀθηνᾶ κρείττων, παρελθεῖν οὕτω* et deinde *καὶ ταῖς τετάρταις καὶ ταῖς ἑβδομάταις προστάξας οἶνον ἕψειν τοῖς ἔνδον, ἐξελθὼν ἀγοράσαι μυρσίνας, λιβανωτῶν πίνακα. καὶ εἰσελθὼν εἴσω, στεφανῶν τοὺς Ἑρμαφροδίτους ὅλην τὴν ἡμέραν,* quae Monacensis epitomator contraxit hac ratione: *ὁμοίως γλαῦκας δειδίττονται. — καὶ τετράδας καὶ ξξ ἡμέρας ἀσφαλίζονται.* utrumque enuntiatum non est in libris uolgatis. relicua capita eius modi sunt ut diiudicari nequeat utrum intercedat necessitudo quaedam inter Monacensem et Palatinum necne. in *ἀηδίας* enim characteris XX fine illud *καὶ ὅσα παρόμοια* incerta omnia reddit, cum in *δυσχερείας* capite XVIIII omittantur conplura Palatini additamenta et ordo ipse enuntiatorum mutetur.

Superest ut Rehdigeranum et Neueleti Palatinum libros in iudicium uocemus. quorum ille ad Palatinum propius uidetur accedere, cum plures eius scripturas confirmet a Fossio recte enarratas I 13 (nisi quod *ὑποχωρήμασι* uocabulum extat in XX *ἀηδίας* charactere). praeterea in *ὑπερηφανίας* capite XXIIII solus cum Palatino consentit post

ἀλειφόμενον addente οὔτε λουόμενον. Sed priores respiciens characteres a Rehdigerano libro non nulla uel addi uel demi scripturae uolgatae animaduertas quae utrum melioris codicis dicas uestigia Fossium secutus an ab interpolatrice manu profecta dubitare sane possis. Omisit uero non nulla Fossius quae memoratu ex mea sententia sunt dignissima. nam in κολακείας capite II μικρὸν ante ἐπιστῆναι praebet Rehdigeranus plane superuacaneum, deinde pro τοῦ παιδὸς caeterorum codicum scriptura τοῦ δούλου exhibet, quod redolet posterioris cuiusdam saeculi correctorem. nec denique premere nimis uolumus οὐ uocabulum in λογοποιίας (VIII) clausula omissum ut concinna euadat oratio, quo eodem consilio οὕτω καταπονοῦσι scriptum est in clausula extrema. Ad hunc igitur finem ratiocinatio nostra progreditur, ut duas inter se differre statuamus partes Rehdigerani libri e uolgatorum codicum fonte deriuati, quarum prior interpolatorem uel emendatorem experta est non indoctum, posterior correcta secundum bonum codicem Palatino adfinem, ita tamen, ut additamentorum nulla habita sit ratio nisi nescio quo casu uno illo loco.

De Palatino denique Neueleti libro e Duebneri notulis certi quidquam concludi nequit, quoniam num plena sit scripturae discrepantia nescimus. concedamus oportet Duebnero locis non nullis consentire Neueleti codicem cum Rehdigerano, sed de quattuor illis grauissimis nihil adnotatum reperimus et suspitionem quandam mouent mirae μικρολογίας capitis lectiones, in primis μετρῶν uocabulum non inepte excogitatum quamuis praue scriptum. de eo igitur quid constituamus non liquet.

Quae omnia cum considerauerimus neque respexerimus definitiones et non nullorum capitum clausulas, qualem retinemus Theophrastei ingenii progeniem? constant notationes singulae enuntiatis conpluribus sine ulla arte nexis inter se adeoque male conformatis ipsis, ut nullus Theophrastei aeui scriptor tale monstrum procreare potuerit. multo enim praestantiora sunt quae Philodemus conscripsit similis argu-

menti capita, cuius tamen orationem ab eleganti genere dicendi toto caelo abhorrere qui neget praeter Hartungium nemo facile existat. unde L. Spengelius suo iure mihi uidetur promisisse, fore ut e Philodemi his reliquiis aliquantum redundet ad diiudicandos characteras Theophrasteos. Grauissima uero duco pauca illa Aristonis Cei uerba a Philodemo seruata X § 22 Saupp. praesertim cum totum enuntiatum pendeat a miro quod est *οἶος* uocabulo, ut Theophrasteam consuetudinem a philosopho Peripatetico acceptam atque excultam possis dicere. qua ratione ne in magnum incidas errorem ualde uereor: id quod paullo post explicare conabor. nam neglecto misero illo *οἶος* singulae euadunt notationes nullo uinculo coniunctae, quas excerptas esse e maiore quodam opere perspicias primo adspectu. itaque *χαρακτήρων* ampliorem librum scriptum esse a Theophrasto possis statuere: quod quam parum uero sit simile adparet puto e prima disputationis nostrae parte. Quid igitur? nonne deferimur in Hermanni Sauppii sententiam qui excerptas esse statuit a rhetore quodam quas nunc legimus notationes praef. Philod. p. 9? supra enim exposuimus characterismi quanto opere celebrati fuerint in rhetorum scholis. cui accedit quod plurimis in codicibus Theophrastei characteres coniuncti uel potius inmixti sunt scriptis rhetoricis, qua de re cf. Sinneri libellus de uita A. Corais p. 21 uers. Turic. et Duebnerus praef. p. I. Vsenerus tamen p. 18 *περὶ ἠθῶν* libros proposuit, diuersos illos ab *ἠθικῶν* libris (quod Hartungii caussa moneo) testibus Michaele Ephesio in eth. Nic. f. 61 u. et Prisciano quaest. ad Chosr. prooem., cui sententiae *ἠθικῶν χαρακτήρων* inscriptio non repugnat. in conparationem praeterea uocat Theophrasti *φυσικῶν δοξῶν* epitomen confectam quidem Alexandrino tempore sed Theophrasti ipsius nomine cum pluribus aliis laudatam: cf. Val. Roseus de Aristotelis libris p. 86 sq. tunc igitur congessisse putandus rhetor aliquis, quae per Theophrasti *περὶ ἠθῶν* libros sparsa ei placebant singula enuntiata hominum mores tangentia, ut exercitationibus

scholarum inseruirent, qui tamen libellus secundum aeui illius usum Theophrasti nomen seruauit. nonne tum fieri potuit, ut ab Aristone quoque Ceo legeretur libellus et pro Theophrasteo haberetur, ita ut scholae alterum principem imitari studeret in characterismis adhibendis non solum uerum etiam conformandis? — De uerbis ipsis utrum sint Theophrasti an epitomatoris diiudicari nequit natura rei, nam quin mutari oportuerit nonnulla non est dubium multaque reperiri adparet et uerba et constructiones, quae a Theophrasto abhorrent. quibus de rebus in editorum commentariis abunde actum est neque quidquam proficiamus repetendo ea quae Astius potissimum non sine summa diligentia congessit tractauitque disserendo. Postea christianae fidei propagatae temporibus cum perutilem ducerent ad hominum mores emendandos lectitari illum libellum uoluerunt. itaque ne nimis nudus uideretur lecturis, prooemium definitiones clausulas addiderunt et pro Theophrasteo consutum hoc opus uenditarunt. atque in definitionibus fingendis imitati sunt Aristoteleam rationem partim non recte intellectam, uelut in notatione *εἰρωνείας* quae *προσποίησις ἐπὶ χεῖρον πράξεων καὶ λόγων* dicitur quamquam Aristotelis uerba ante oculos habuerunt scribentis haec ethic. Nicom. II 7, 12 *ἡ δὲ προσποίησις ἡ μὲν ἐπὶ τὸ μεῖζον ἀλαζονεία. καὶ ὁ ἔχων αὐτὴν ἀλαζών. ἡ δὲ ἐπὶ τὸ ἔλαττον εἰρωνεία καὶ εἴρων*, nesciuerunt tamen ab Aristotele nusquam fere hanc locutionem *ἐπὶ (τὸ) χεῖρον* eadem sententia qua *ἐπὶ τὸ ἔλαττον* usurpari teste ipso Zellio commentat. II p. 11 caeterum Astii inanes distinctiones recte refellente. simile quid obseruare possis in *ἀλαζονείας* definitione (cap. XXIII). Aristoteles enim eth. Nic. IIII 7, 2 copiose distinguit *προσποίησιν τῶν ἐνδόξων καὶ μὴ ὑπαρχόντων καὶ μειζόνων ἢ ὑπάρχει*, deinde autem monet haec 10: *ὁ δὲ μείζω τῶν ὑπαρχόντων προσποιούμενος μηθενὸς ἕνεκα φαύλῳ μὲν ἔοικεν. οὐ γὰρ ἂν ἔχαιρε τῷ ψεύδει. μάταιος δὲ φαίνεται μᾶλλον ἢ κακός.* in libello nostro nulla huius distinctionis ratione habita *ἡ ἀλαζονεία προσποίησίς τις* (sic enim scri-

bendum pro *προσδοκία* uocabulo tradito) *ἀγαθῶν οὐκ ὄντων* definitur, at per totum caput is describitur *ἀλαζών*, qui sola gloriandi cupidine peccat, non lucri capiendi caussa. Haec sufficiant. qui omnes eiusmodi errores cognoscere cupiunt ei ut Zellii commentationem alteram adeant hortamur, qua consentire ille utriusque philosophi definitiones ostendere studet, sed ipsa quibus uti cogitur artificia frustra eum laborasse euincunt. Sauppii sententia probata concidunt omnia quae grauissimos adhuc parauerant scrupulos. quis enim etiamnunc animum inducat ut duas efficiat notationes ex *ἀρεσκείας* capite V propter definitionem praefixam cui minime sane apta est altera capitis pars? in definitionibus potius ipsis uitium positum putemus. tum uero licet etiam expedire miram alioqui codicum discrepantiam qua fit ut a Palatino libro tribuantur ultimo capiti quae maiore ex parte ad *βδελυρίας* notationem pertinere relicui codices testantur omnes. Palatini enim libri archetypus proxime accedit ad epitomes formam principis, quam in breuius contraxerunt uariis de caussis quarum nonnullas coniectura possis adsequi. ex XXVIII enim *κακολογίας* et XXIII *ἀλαζονείας* notationibus eiecta esse adparet parum decenter dicta ne iuueniles animi laederentur, e XXII *ὀψιμαθίας* capite quae ad sacra pertinebant, ne christiani offenderentur homines, plura denique quae moribus emendandis non uiderentur inseruire. alteram hanc epitomen qui confecit ei addere placuit qualibet de caussa *βδελυρίας* capiti XI enuntiata nonnulla ex ultima notatione desumpta et id quidem inuita Minerua, cum inter recentiores editores extiterint qui abiudicarent additamenta illa a capite XI. ex eius modi uero codice manarunt omnes quos nouimus libri scripti, sed pessime illo deprauato innumerisque locis corrupto. multo meliore usus est solus is uir qui Monacensem epitomen conposuit. quod quibus factum sit temporibus enucleare possumus ex ipsius scriptoris uerbis uel potius uocabulis. sunt enim notationis XVII *μεμψιμοιρίας* extrema haec *καὶ ὅσα γογγυστικῆς γνώμης δείγματα*, cum *γογγυστικὸς*

uocabulum ecclesiastici tantum scriptores usurpent. deinde rimari mihi contigit *βδελυρίας* capite XI inter *τὸ* et *γυναικῶν* (sic codex, non *γυναικὶ* ut Wurmius) uocabulum *ἐνώπιον* a Wurmio omissum, quod „coram mulieribus" significare uoluit scriptor, qua ratione adhibetur in noua scriptura. denique christiani hominis consuetudinem latere suspicor in prooemii uerbis quibus *ἔσονται βελτίους ἡμῶν οἱ παῖδες* dicentem facit scriptorem, uide quae supra de prooemio disserui p. 16.

Ex his quae disputauimus adparere puto, prorsus alia ratione adornandam esse Theophrasteorum characterum editionem quam qua adhuc solebant uiri docti. expellatur enim oportet coniecturarum farrago eo consilio factarum ut concinnitas quaedam structurae et sanus orationis ordo euadat. qua in re ne Duebnerus quidem non peccauit qui rectam alioqui sententiam secutus est adferendo non solum uolgatam uerum etiam Monacensem prooemii formam, sed media in uia substitit et Palatini codicis additamenta ut insiticia notauit more Astiano. Tenendam equidem duco uolgatam characterum formam quae ipsum contextum efficiat, adscribenda praeterea plena et Monacensis et Palatini codicis uerba. denuo igitur conferri necesse est Palatinum librum, nam Siebenkeesii industriae quam parum confidere possimus Duebnerus docet praef. p. II, id quod antea iam tetigerat Orellius ind. lect. Turic. aest. a. CIƆIƆCCCXXXIIII.

FRIDERICI HANOVII VITA

Natus sum Sorauiae Lusatorum kal. decembr. a. CIↃIↃCCCXXXVI parentibus optimis dilectissimis Rudolpho atque Natalia de gente Steinbartiana. fidei addictus sum euangelicae. intra domesticos parietes a patre potissimum instructus a. h. s. XXXXVIII Liegnitianae academiae, qua equitum pueri educantur, scholam adii et per tria semestria prae caeteris praeceptoribus diligere coepi Gentium Heringium Platenum. mox Zuellichauiam reuocatus regii paedagogii quod pater carissimus regit institutioni sum traditus atque per quattuor annos et dimidium praeclara me sustentabant beneuolentia magistri praestantissimi Funck, Horkel nunc Regiomontanus, Klix atque Ruehle postea Glogouienses, Krukenberg, Lobach, Marquard, Schulze, Steinbart b. m. auonculus. Ab anno inde LIIII quoniam Berolinensis uniuersitatis ciuis philologiae operam nauare decreueram scholis interfui horum uirorum doctissimorum: Boeckhii Gerhardii Hauptii Hertzii Nitzschii Rankii Trendelenburgii. Denique quod dudum optaueram a. LVI euenit ut Bonnam migrare mihi liceret totumque me dedere studiis philologicis. id quod feci summa cum uoluptate mea duces secutus per quinque fere semestria excellentissimos Ritschelium Iahnium Welckerum. audiui praeterea Buechelerum Langium Loebellium Schmidtium Steinmeyerum Troschelium uiros clarissimos. celebrandae uero in omne tempus laudes Welckeri atque Ritschelii, qui regii philologorum seminarii me esse sodalem ordinarium insignique qua gaudet illud institutione per biennium frui uoluerunt.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 058 530 6

SENTENTIAE CONTROVERSAE

I Hermesianactis Leontion carmen per strophas erat dispositum. uersus igitur qui supersunt hac fere ratione conlocandi 1—20. 27—34. 21—26. 35—40. 47—74 (+ 4). 41—46. [75—78?]. 79—98.

II Genuinae non sunt quae Antistheni tribui solent *Αἴας* et *Ὀδυσσεὺς* declamationes.

III Turbatus est pluribus librorum de arte rhetorica locis ordo ab Aristotele ipso propositus.

IIII Scripsit Dionysius Halicarnaseus singularem libellum quo de discernendis Lysiae et Isaei orationibus agebat.

V Dionysii Halic. de Isaeo iud. III p. 589 R. haec efficio uerba: — — — *ἀλλὰ παρακρουσθήσεται* (sic recte Reiskius) *ταῖς ἐπιγραφαῖς οὕτως ἀκρίτως ἐχούσαις ὡς δι' ἰδίας δηλοῦταί μοι γραφῆς.*

VI Dionysii Hal. de Lysia III p. 457 R. eiecto *οὐκ* uocabulo sana euadit sententia haece: *καὶ τῶν εἰωθότων σχηματισμῶν τῇ διαλλαγῇ.*

VII Apud Catullum XXV 11 e codicum uestigiis eruo 'insulsa turpiter tibi flagella conscribillent.'

VIII Horatii carm. I 17, 22 sic corrigam: 'nec semul euhius cum Marte confundet Thyoneus proelia.'

VIIII Granius Flaccus non est idem atque Granius Licinianus annalium scriptor.

X Poetarum latinorum artem perspicere non possunt nisi qui ipsi uersus latinos condere didicerunt.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 058 530 6